


Ec. 13. 4to





ELEGIÆ

DVÆ

IN OBITVM REVE-
RENDI ET CLARISSIMI VI-
RI DOMINI PAULI EBERI SENIORIS,
*sacro sanctæ Theologiæ Doctoris & Pastoris Ecclesiæ
Vuitebergensis, Prima ad D.M. NICODEMVM
FRISCHLINVM Poëseos Professore in Acade-
mia Tübingensi, Altera ad D. CAROLVM
BEIERVM Rectorem scholæ Orin-
gensis scripta.*

Authore

IOHANNES SLEIFERO
Seruestano Iurium stud.

VVITEBERGÆ

*Excudebant Clemens Schleich &
Anthonius Schöne.*

ANNO

M. D. LXX.

Suo Thomæ Wörmlitz v. ad d.
Authore. Witeberg.



DOCTISSIMO VIRO ERV.
DITIONE ET VIRTUTE PRAE-
STANTI DOMINO M. PAVLO EBERO, REVE-
rendi & clarissimi viri Pauli Eberi, Pastoris Vuis-
tebergensis, pie memoriae, filio, Domino
& amico suo colendo,

S. D.

HOS mæstos Elegos Ebere docte
Qui passis veniunt tibi capillis,
Nec sat sunt lepidi nec elegantes,
Vultu suscipias precor sereno.
Nam deflent obitum tui parentis,
Cuius fama volat per vniuersum
Orbem, venit & ad sacras Olympi
Aedes, quæ sine fine viuit, atq;
Nunc CHRISTI videt ora sempiterni,
Hoc si præstiteris DEVS benignus
Largitor Deus omnium bonorum
Seruet te incolumem diuq; saluum,
Vt cernas Pylîj senis senectam.

T. R.

Deditus

Iohannes Sleiferus Ser-
uestanus, Iurium stu-
diosus.

IN OBITVM REVERENDI ET
CLARISSIMI VIRI DOMINI DOCTORIS PAULI
Eberi, piæ memoriæ, Iohannis Sleiferi Seruestani Elegia
prima ad elegantissimum Poëtam Dominum M. Nico-
demum Frischlinum, Professore publicum
Academiae Tubingensis &c.

DVm riget hybernum glaciale frigore cælum,
Et nix pro letis frugibus arua tegit.
Nullus honor syluis, tristantur mollia prata,
Et tristes errant per nemus omne feræ.
Tristis & ipse dolens nemorum secreta petebam,
Qua vagus Heilpronnæ mœnia Nicrus adit.
Hic dum procedo reputans discrimina vitæ
Et quàm sit fallax & breue vita bonum.
Fama meas (vates cultissime) venit ad auras,
Penè ego me surdis auribus esse velim.
Quòd moriens homines terrasq; reliquit Eberus,
Qui fuit Albiacæ, lausq; decusq; scholæ.
Sic ne fugis diuine senex, per dulcis Ebere,
Et sequeris Manes Elysiumq; nemus?
Raptus es heu sancti collega inuictæ Philippi,
Qui vir perpetuò viuere dignus erat.
Paruus homo membris, valido nec corpore, verùm
Iudicio & vario dogmate magnus eras.
Tu pius interpret Paulinæ vocis ouile
Ornabas Christi sedulitate tua.

A 2

Pandit

Pandit vbi doctis hederæ cultoribus Albis,
Sacram Gorgonei flumine fontis aquam.
Doctrinæq; pio cælestis amore ferebas,
Mille viæ casus, tædia mille viæ.
Tot tibi contulerant cælestia munera Diui,
Ver quot odoratis floribus ornat humum.
Ipse peregrinas es sæpe profectus ad oras,
Quæ Nicer & Rhenus qua Lycus arua rigant.
Vt causas fidei tegeres, fraudesq; papatus
Destrueres, Stigij vimq; dolosq; lupi.
Ergo te meritò lugebunt carmine vates,
Qui sacra pegasei numina fontis amant.
At ripas pater Albi tuas te Maior ademptum
Dicet, dum vitæ de breuitate tuæ.
Gloria pieridum Videbramus pleetra mouebit,
Qui nunc ad rapidas considet Albis aquas.
Quo duce pegaseas libani protinus vndas,
Primus & ad Musas is mihi strauit iter.
Fallor? an ille tuo fungetur munere Ebere,
Et sparget templis semina pura DEI.
Haud fallor siquidem sic Dux Auguste volebas,
Saxoniam placida qui modò pace regis.
Illius hoc meruit pietas atq; ora diserta,
Quæ duo præsertim pectora docta decent.
Des igitur cæptos valeat perferre labores,
Christe Patris splendor vera propago Patris.
Ac

Ac pius ut te ritè colit, sic grande salutis,
Demonstret casto pectore castus iter.
Ast hæc prætereo saltem, reliquosq; Poëtas
Nomino, qui plangent funus Ebere tuum.
Carmen in exequiasq; tuas laudesq; sonabit
Mauricius, Clarij laus operosa chori.
Et Latio & Graio tua funera pectine planget.
Cracouius Phæbi gloria, iuris honos.
Fabritiusq; potens lingua numerisq; disertus.
In mortem condet carmina mæsta tuam.
Ad Viadri flumen Schösserus carmen habebit,
Ut celebret Manes vir venerande tuos.
Hinc Lauterbachius numeris te flebit ademptum,
Cuius habet vatem vix Elegia parem.
Posthius haud deerit lugubri carmine vates
Condita sed lachrymis irriget ossa pijs.
Fors etiam properata bonus tua fata doleret,
Gloria Castaliae prima Sabinus aquæ.
Nec non Stigelius firmissima gloria Musæ,
Lugubri dulces funderet ore modos.
Tristia Lotichius faceret suspiria versu,
Ferret & ad lachrymas te Nicer vde suas.
Hos nisi iam dudum crudelia fata tulissent
Fata, nimis rebus semper iniqua bonis.
Sed quoq; credibile est illos regionibus illis
Te canere, & vitam deseruisse queri.

A 3 Et

Et quos præterea nutrit Germania vates,
Concelebrent Manes laudis honore tuos.
Incomperta mihi quorum nec nomina constant,
His neq; conueniunt versibus apta meis.
Econtra plaudent diuini dogmatis hostes,
Qui celebrant ficta religione Deum.
Cordibus externis qui Christi iussa sequuntur,
Internis veræ nil pietatis habent.
At tu sancte senex horum ludibria sperne,
Non possunt tumulo fraude nocere tuo.
Iam benè tecum agitur tumidi dum secula mundi
Exosus, cæli tecta beata colis.
Unigenamq; Deum maiestatemq; verendam
Aspicias, æternis perfruerisq; bonis.
Nec veteres curat iam mens secura labores,
Sed cælo æternæ tempora pacis agit.
Salue anima illustris celsi nunc ætheris hæres,
Salue in perpetuos non moritura dies.
Salue, qui quondam victu mea corda fouebas,
Cum colerem Albiacæ culta theatra scholæ,
O vtinam dignas tibi possem soluere grates,
Et tibi pro meritis præmia ferre tuis.
Grande voco meritum mihi quod præcepta ferebas
Ædibus in proprijs cum tuus hospes eram.
Grande voco meritum mihi quod stetit vsq; benigni,
Pectoris atq; animi ianua aperta tui.

At

At tibi dum nequeo pro munere reddere munus,
Hæc tibi pro meritis munera soluo tuis.
Ipse precor Christum qui lucida patris imago,
Det tibi perpetua pace bonisq; frui.
Ossaq; tranquilla semper tua sede quiescant,
Vltima dum terris fulserit illa dies.
Quæ Manes tumulis educet hiantibus omnes,
Vt decus ex meritis opprobriumue ferant.
Hæc referenda tibi vates præclare putavi,
Vt scires etiam me memorem esse tui.
Si vacat ista legas mæstis Elegia capillis,
Quæ tibi lugubri carmine scripta dedit.
Quæ si displiceant si non tibi fortè probentur,
Non mirum est, luctus tum dolor ista dedit.
Proueniunt animo quæ sunt placitura sereno,
Ergo boni hæc poteris consuluisse scio.
Quæ spes ne fallat rogo te per numina Phæbi,
Per quibus intentus semper es astra, vale.

IN EIVSDEM OBITVM
ELEGIA ALTERA IOHANNIS SLEIFERI AD
doctissimum virum Carolum Christophorum
Beierum, Rectorem scholæ Orin-
gensis.

Fortè tibi mæsto quid portet Epistola versu,
A gelido Nicri flumine missa rogas?
A 4 Nec

Nec gerat insignem lauri de fronte coronam,
Sed veniat passis dilaniata comis?
Tu modo si dederis facilem sermonibus aurem,
Flebilibus dicam Carole docte modis.
Sustulit indigno mors funere nuper Eberum,
Qui pius Albiaca sparsit in vrbe fidem.
Illum nil virtus inuuit, nil ora diserta,
Abstulit inuisa mors ea cuncta manu.
Is Domini toto confisus pectore verbo,
Et multos casus & mala multa tulit.
Sueuia quot segetes quot habet Turingia saltus,
Æquore quot pisces, fronde teguntur aues.
Nec timuit Papam, Flaciumuè Melanthonis hostem,
Qui tumidi secum nil nisi virus alunt.
Heu mihi quanta nouem fecerunt damna sorores,
Publica res quali concidit orba viro.
Viueret si nostro potuisset longius æuo,
Hinc esset populis quanta futura salus.
Sed superis aliter visum qui tempora nostra,
Perpetuis nolunt esse beata bonis.
Ille beatorum sed viuit in arce receptus
Viuit, & æterni conspicit ora DEI.
Quemq; diu forti Christum fuit ore professus,
Hunc oculis coram spectat habetq; suis.
Nos decet vt cineri felicia fata precemur,
Et sit humus tumulo non onerosa nouo.

Nam

*Nam quoq; defunctis suus est honor, inq; sepultos,
Mens pia flebilibus non reprobanda notis.
Hæc ego dum lachrymis comitabar funus Eberi,
Luctificis cecini Carole pauca modis.
Plura dolor prohibet longum tu Carole viue,
At quoq; vestra noui si quid Oringa tenet.
Huc ferat vt Nicri quæso flauentis ad vndas,
Nuncia sermonis litera missa tui.*

EPITAPHIVM EIVSDEM

D. D. PAULI EBERI PRÆ-
CEPTORIS.

CVius hæc monumenta sint sepulchri
Iucundis violis rosiscq; sparsa
Fortè scire cupis viator? asta:
Non te circuitu diu morabor.
EBERVS cubat hic fidelis ille
Antistes pietatis, & minister
Verbi, Leucorea disertus vrbe
Cui nomen Vuitikindus Imperator
Dedit, diuitijs potens & armis.
Restagnantis ad Albidos fluentum,
Sparsit saluificam fidem docendo
In fide & pietate Christiana
Is multos populum rudem per annos

A 5 Præ-

Præstans ingenio erudiuit acri.
A vera pietate nec recessit,
Vel donis hominum dolisue Papæ.
Ergo iam meritò tenet quietem
Aeternam, & fruitur polo perenni.
Hæc paucis volui tibi viator.
Nunc abi, atq; pijs precare votis
Eberus placidè quiescat, atq;
Vt nomen teneat perenne terris.

DE EIVSDEM OBITVM
EPIGRAMMA.

*C*um moriens terras hominesq; reliquit Eberus,
Et subijt rutili gemmea tecta poli.
Condoluit laceris Ecclesia mæsta capillis,
Cumq; suo luxit turba nouena Deo:
Luxit, & horrendè mortem fecisse loquuta est,
Tam citò qui tantum sustulit orbe virum.
At cum purpurei cæli sacra tecta subiuit,
Ex fato summi qui regit astra patris.
Risit sacra cohors, animæ risere piorum,
Angelicus cætus risit & ipse Deus.
Risit, & egregiè mortem fecisse loquutus,
Tam citò quod tantum sustulit orbe virum.

F I N I S.



Cl 4160


ULB Halle
003 485 978


3



me







B.

ELEGIÆ
DVÆ
IN OBITVM REVE-
RENDI ET CLARISSIMI VI-
RI DOMINI PAULI EBERI SENIORIS,
sacro sanctæ Theologiæ Doctoris & Pastoris Ecclesiæ
Vuitebergensis, Prima ad D.M. NICODEMVM
FRISCHLINVM Poëseos Professore in Acade-
mia Tübingensi, Altera ad D. CAROLVM
BEIERVM Rectorem scholæ Orin-
gensis scripta.
Authore
IOHANNES SLEIFERO
Seruestano Iurium stud:
VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich &
Anthonius Schöne.
ANNO
M. D. LXX.

Suo Thomæ Wörmlitz ad d.
Authore Witeberg

